



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Analysis Methodica Ivris Pontificii**

**Venator, Daniel**

**[S.I.], 1579**

**VD16 V 541**

De Bigamis Non Ordonandis. Titulus XXI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63204](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63204)

122 ANALYS. IVRIS PONTIFICII  
DE BIGAMIS NON OR-  
dinandis.

*Titulus XXI.*

*Continuatio.*

**B**igamia est irregularitatis causa impedient  
Ordinationem.

*Quis dicitur Bigamus?*

Bigamus dicitur, non qui cum virgine con-  
traxit, licet prius alij fuerit desponsata: nec qui  
cum vidua, vel qui plures cognouit cōcubinas,  
sed qui duarum vxorum maritus legitimus fu-  
it, c. debitum, c. à nobis, c. quia circa, c. nuper à no-  
bis, extr. eod.

*Quæ causa efficiens Biga-  
mia?*

Causa efficiens Bigamiæ est duplex, & ita-  
tum matrimonium cum duabus legitimis vxo-  
ribus successiuè contractum, & copula carnali  
consummatum.

*Quis Effectus?*

Effectus est, quod Bigamus coertioni fori  
secularis ita obstringatur, ut inde recedere non  
possit: ob idque omni priuilegio clericali nuda-  
rūs, ab Ordinibus arceatur, c. altercationis, de Bi-  
ga, in 6. c. maritum, dist. 33. licet necessitate instan-  
te in Subdiaconum promoueatur, 34. dist. c. le-  
ctor.

*Quæ*



*Quæ Causæ prohibendi?*

Causæ prohibendi bigamis Ordines secundum Hostiensem, sunt quatuor, 1. Propter defecum sacramenti vñionis: cùm carnem suam in plures diuiserit, 26. dist. c. acutiūs. 2. Propter prærogatiuam Ordinis, c. vna, dist. 26. 3. Propter signum incontinentię: cùm, uxore mortua, aliam duxerit, c. proposuisti, dist. 82. 4. Ex eo, quod frequentator coniugiorum non habeat frontem viduitatem hortandi, d. c. vna, dist. 26.

## DE CLERICIS PEREGRINIS.

## Titulus XXII.

*Quis dicitur Peregrinus?*

**C**lericus peregrinus dicitur, qui in remotis regionibus, extra prouinciam, ordinatus est: is si ordinationem suam quinque Episcoporum sigillis probare non poterit, ad administrationem sacri ministerij, etiamsi se ordinatum iuret, non admittitur.

*Quæ causa prohibitio-*  
*nis?*

Causa prohibitionis est, præsumptio, que cōtra ipsum militat, non esse ipsum Ordinatum, vel per saltum suscepisse Ordines.

*Quis*